

rat: depuduit vanitati, et erubuit veritati: subitoque et inopinatus ait Simpliciano, ut ipse narrabat: Eamus in Ecclesiam, Christianus volo fieri. At ille non capiens se laetitia, perrexit cum eo. Ubi autem imbutus est primis instructionum sacramentis, non multo post etiam nomen dedit, ut per baptismum regeneraretur, mirante Roma, gaudente Ecclesia. Superbi videbant, et irascebantur: dentibus suis stridebant, et tabescebant: servo autem tuo Dominus Deus erat spes ejus, et non respiciebat in vanitates, et insanias mendaces. Denique ut ventum est ad horam profitendae fidei, quae verbis certis conceptis, retentisque memoriter de loco eminentiore, in conspectu populi fidelis, Romae reddi solet ab eis, qui accessuri sunt ad gratiam tuam, oblatum esse dicebat Victorino a presbyteris, ut secretius redderet, sicut nonnullis, qui verecundia trepidaturi videbantur, offerri mos erat: illum autem maluisse salutem suam in conspectu sanctae multitudinis profiteri. Non enim erat salus in rhetorica, quam docebat, et tamen eam publice professus erat. Quanto minus ergo vereri debuit mansuetum gregem tuum, pronuntians verbum tuum, qui non verebatur in verbis suis turbas insanorum? Itaque, ubi ascendit, ut redderet, omnes sibimet invicem, quisque ut eum noverat, instrepuerunt nomen ejus strepitu congratulationis. Quis autem ibi non eum noverat? Et sonuit presso sonitu per ora cunctorum collaetantium: Victorinus, Victorinus. Cito sonuerunt exultatione, quia videbant eum: et cito siluerunt intentione, ut audirent eum. Pronuntiavit ille fidem veracem praeclara fiducia, et volebant eum omnes rapere intro in cor suum; et rapiabant amando, et gaudento. Hae rapiantium manus erant.

CAP. III. QUOD DEUS, ET ANGELI MAGIS GAUDENT IN PECCATORUM CONVERSIONE.

Deus bone, quid agitur in homine, ut plus gaudeat de salute desperatae animae, et de majore periculo liberatae,